MARMORA SALONITANA

A

FRANCISCO ANTONIO ZACHARIA

SOCIETATIS JESU

IN ORDINEM DIGESTA,

AC BREVIBUS OBSERVATIONIBUS

INLUSTRATA.

NAPOLI

ILLVSTRISS. MARCHIONI. SCIPIONI. MAFFEIO
LATINIS. GRAECIS. HEBRAICIS. LITTERIS AP
PRIME DOCTO. POETAE CELEBERRIMO. EXIMIO
PHILOSOPHO. EDITIS. LIBRIS. MVSEO LAPIDARIO
INSTRVCTO. PRETIOSIS CODICIBVS. E. SORDIDO. PVL
VERE. FORTVNATE. ERVTIS. RECENSIS. DIVVLGATIS
DE. PATRIA. OPTIME. MERITO. ANTIQVITATVM
ROMANARUM. GRAECARUM. HETRVSCARVM. EXPLA
NATORI FELICISSIMO. CL. DIPLOMATICAE ARTIS
AMPLIFICATORI. CHRISTIANORUM. DOGMATVM AD
VERSVS. PHOTIANOS. LVTHERIANOS. SOCINIANOS
STRENVO. VINDICI. INVICTO. IANSENIANI. ERRORIS
PROFLIGATORI. VIRO. SVPRA. OMNEM. INVIDIAM
LAVDATISSIMO. ITALIAE. LITTERARIAE. REIP.

SECVLI. NOSTRI. ORNAMENTO
MARMORA. HAEC. SALONITANA
FRANCISCVS. ANTONIVS. ZACHARIAS
SOC. IESV
D. D.

KALENDIS. IANVARIIS. A. P. C. N. CIƆIƆCCLII.

15th

PRÆFATIO.

NON heic ego de veterum Inſcriptionum præſtantia diſſeram; neque quantum illis debeamus, qui ſingularium urbium, aut regionis unius ſcriptos lapides divulgandos ſuſcipiunt, multa præfabor. Nam illa juſti voluminis materies eſt, quam ut eruditiſſimis viris quibuſdam fuit, ita & nobis in animo eſt aliquando pertractare; hoc adeo per ſe ſe clarum eſt, atque perſpicuum, ut neceſſe non ſit illud aut rationibus, aut exemplis confirmare. Enimvero quum nihil antiquitatis ſtudioſis optabilius ſit, quam ſi quis in unum tandem corpus Inſcriptiones quotquot ubique exſtant adcurate redigat, neque fieri poſſit (quod tamen fieri ad hujus collectionis diligentiam, præſtantiam, dignitatem maxime oporteret) ut marmora ipſa in tam diſſitis locis conſtituta tanti molitor operis conſulat unus, atque deſcribat; iis certe, qui urbis, aut regionis cujuſpiam lapides dum ſedulo ſcrutantur, atque divulgant, expetitam adeo, ac neceſſariam illam omnium Inſcriptionum collectionem, ſed magnis implicatam difficultatibus expediunt, maximam a nobis deberi gratiam inficiabitur nemo. Ea de cauſſa hortante maxime doctiſſimo Præſule Pompejo Compagnonio, animos etiam addente amiciſſimo Oliverio, qui hanc Spartam quod ad Patriæ ſuæ Piſaurenſis marmora ſpectat, tanta ſui nominis commendatione ornavit, Auximates Inſcriptiones adgreſſus fueram colligere, atque obſervationibus meis ubi fuiſſet neceſſe explicare. Hæc molientem ad aliud opus plane ſimile, ſed quod ſuſcipi a me umquam debere, ne cogitaſſem quidem, vocat me doctus Illyrici Sacri editor P. Daniel Farlatus. Nam ſe plures habere Spalato miſſas veterum Salonarum, earumque agri Inſcriptiones ſcribit ad me; optare autem ſe addit perhumaniter, ut, ſi per tempus, meaque ſtudia liceret, eas ipſe in ordinem digererem, atque illuſtrarem. Parui ſtatim, ut equidem debueram, præclaro Societatis noſtræ Viro, cujus in tanta monumentorum inopia conatus probavi ſemper, ac porro probabo; quumque quæ Canonicus Hieronymus Bernardus Spalatenſis Salonitanarum Inſcriptionum exempla humanitate ſumma ad ipſum miſerat, ab eo adcepiſſem, dimiſſis tantiſper Auximatibus Lapidibus, ad Delmaticos tranſii. Illud autem primum a me fieri debere intellexi, ut qui inediti adhuc eſſent, qui contra lucem vidiſſent, inveſtigarem. Gruterii, Gudii, Reineſii, Fabretti, Muratorii collectiones evolvi ſedulo; Cyriaci quoque Anconitani Epigrammata excuſſi, Romæ perquam vitioſe edita, ut non immerito queruntur Hollandi auctores *Miſcellanearum Obſervationum Criticarum Novarum* (*Tom.* 4. *p.* 318.) qui tamen (detur enim veritati brevis digreſſio) aliis in locis non debuiſſent Clariſſimo Viro Compagnonio vitio vertere, quæ inemendata in Muratoriano Theſauro repererunt ex Barberinis Cyriaci ſchedis ab eo ad Muratorium miſſis, quaſi ille non quæ in ſchedis legebat, ſed conjecturas ſuas debuiſſet cum Muratorio communicare. Sponium fruſtra quæſivi, nec niſi priores tres *Miſcellaneæ eruditæ Antiquitatis* ſectiones ab humaniſſimo Antonio Franciſco Gorio mutuari potui. Quamobrem fortaſſe alias Sponius recitabit Salonitanas Inſcriptiones, quas heic ego velut ineditas exhibeo. Fortaſſe etiam in ipſis illis, quas antea memorabam, collectionibus exſtabunt aliquæ, quæ feſtinanti exciderunt inviſæ. Nam ſi quem nuper a me appellatus Clariſſimus Gorius Donianas Inſcriptiones in vulgus emittens, Urbium, locorumque, ubi illas Donius aut exſcripſit, aut eſſe intellexerat, utiliſſimo labore confecit, Indicem Lapidum quoque editores ceteri addidiſſent collectionibus, facillimum tum mihi fuiſſet Salonitanas Epigraphes invenire, cumque adceptis exemplis editas contendere; ſed in tanta Inſcriptionum tot prægrandibus voluminibus comprehenſarum multitudine quam id difficile! quam tædii plenum, atque periculi, ut vel diligentiſſimum aliqua effugiant. Dum vero Spalatenſia exempla cum editis libris confero, illud etiam e re plurimum eſſe viſum eſt, ut quas in iis non inveniſſem Salonitanas Inſcriptiones, ab aliis tamen divulgatas, illas quoque colligerem, iterum una ſimul proferendas; ſic enim Salonitanorum marmorum corpus proditurum videbam non contemnendum, opuſque meum multo magis probatum

batum iri Lapidariæ rei cultoribus, qui idem Margarinium in Inſcriptionibus Baſilicæ S. Paulli, Malvaſiam in Marmoribus Felſineis, Olivetium in Piſaurenſibus colligendis præſtitiſſe norunt, nec ea ſolum, quæ ipſi invenerant nondum divulgata, ſed quæ ab aliis jam luci donata fuerant Monumenta in ſuos quoque libros retuliſſe. Sed quum numerus Salonitanorum marmorum his adceſſionibus auctior etiam, quam initio putaveram, effectus ſit, illa in certas claſſes partiri libuit; tum ſiglas explanavi, obſervationibus, quoad fieri potuit, brevibus, ac neceſſariis (nec enim illos ferre poſſum prodigos chartæ, ac bonarum horarum conſumptores, qui quicquid norunt, ſeu tritum ſit, ac vulgare, ſeu peregrinum, & inauditum, nulla inſtituti ſui ratione habita, proferre geſtiunt) Inſcriptiones noſtras identidem inſperſi, Indices demum, ut equidem ſpero, non inutiles, extremo operi adjeci. Hæc mea ſunt. Cujuſmodi illa fuerint, quæ Spalato perlata ad nos ſunt, nunc ediſſero. Atque ea quidem duplicis veluti generis ſunt: chartarum plagulæ aliquæ disjunctæ inter ſeſe, & libellus. Schedæ (ſic enim illas deinceps appellabo) Inſcriptiones continent non multas, ſed diligenter exaratas. Multo uberiorem Lapidum copiam exhibet Libellus, at plurimi ſunt parum apte deſcripti. Neque id miror. Nam Viri etiam doctiſſimi, iique in hac ſtudiorum ratione exercitatiſſimi in deſcribendis marmoribus, vel præconceptis opinionibus ſuis, vel characteris forma admodum lectu difficili, vel temporis injuria, quæ litterulas miſere obtrivit, ſæpe falluntur; niſi ſecundo, ac tertio ſingulos apices perſcrutentur. Doleo tamen id contigiſſe, inde enim non parum operi decedit utilitatis. Omnes tamen, quoad licuit, emendare conatus ſum; utinam feliciter! Verum etſi aliqua ex his marmoribus non admodum recte exarata ſunt, multum debebunt certe Lectores mei Canonici Bernardi conatibus, ex quibus demum totum hoc, quicquid futurum eſt, opus proficiſcitur.

MAR-

MARMORA SALONITANA.

CLASSIS PRIMA.

VOTIVA.

I.

Ex MS. Spalatenſi libello n. 64.

I. O. M.
Q. RAONIVS.
DODORVS. EX
VOTO. POSUIT
ſic LIBES. MERITO
IIII. IDVS. MAJAS
PROMIANO. ET
BRADVA. COSS.

Lapidem hunc *Jovi Optimo Maximo* poſitum ediderunt Gruterus XVI. 9. qui illum *Spoleti* perperam collocat, Johannes Lucius, & Muratorius CCCXLIV. I. Exſtare nunc dicitur in ædibus quondam Nicolai Papalis nobilis Spalatenſis. MS. exemplum, ex quo illud noviſſimus omnium adſero, corruptum eſt in tertia, ac penultima linea; ibi enim legendum omnino, ut ex Codice MS. Maruli Lucius edidit, *Diodorus*, heic vero *Aproniano*, ut habet Muratorius. Apronianus enim, non Promianus Braduæ collega fuit in Conſulatu anno Chriſtianæ æræ CXCI. ad quem ſpectat inſcriptio.

II.

In atrio Archiepiſcopalis Palatii Spalati ex ruinis Salonarum. Lib. MS. Spal. 101.

I. O. M.
SAKRUM
L. EGATIVS. L. F.
KN. NEP. KN. PRONEP,
TRO. KLEMENS
DEKVRIO. AVGVS

Et hic lapis editus eſt a Muratorio (III. 10.) qui L. EGNATIUS legit, & littera C effert quæcumque heic nomina littera K conſcripta ſunt; legit idem Muratorius *Decurio*, *Augur*; at *Decuriones Auguſti*, nempe Palatii Cæſaris, ex lapidibus noti ſunt, *Decuriones Augurum* nuſquam inveni. *Decurio* autem, *Augur* ſi recto caſu intelligas, in graviores impingas difficultates. Dicerem *Lucium Egnatium Lucii filium Cnei Nepotem Cnei Pronepotem Tromentina*, ſcilicet ex Tribu Tromentina, *Clementem*, qui *Jovi Optimo Maximo* lapidem inſcripſit, fuiſſe *Decurionem Auguſti*; ſed Decuriones ejuſmodi Liberti fuere, qualis Egnatius hic non videtur fuiſſe. Fuerit igitur potius *Decurio Auguſtalis*. Decuriones, & Auguſtales ſæpe in lapidibus conjunguntur.

III.

Ex MS. lib. Spal. 198.

I. O. M.
MAVRILIVS CL. F. CLEMENS
CL. NEPOS. EPICARMVS. VELLIVS
MAX. F. DECVR. L. CN. F. EDITVVS
ARAM. L. P. C. DD.

Heic turbatæ omnes Lapidum leges. *Cl. Nepos*, & *Max. F.* poſt cognomen poſitum, gentis nomen omiſſum poſt prænomen Lucii: quid hæc? Spuriane inſcriptio? an quod facilius credo indiligenter deſcripta? Dum doctior aliquis marmor inſpiciat, deſcribatque, ſub initium lege, *Marcus Aurelius*, Siglas autem L. P. C. DD. interpretare *locus publice conceſſus Decreto Decurionum*.

IV.

Ex Gudio VIII. 2.

IOVI. OPTIMO. MAXIMO.
VICTORI SACRVM
A. VOLVMNIVS. A. F. QVIRINA
EXPECTATVS. SALONA. MARTIA. JVLIA
DECVRIO. COL. IIIIII VIR
V. S. L. M.

Aulus Volumnius Expectatus infra recurret in Militaribus. Num hic *Decurio Coloniæ*, *Sevir*, qui *Jovi Optimo Maximo Victori votum ſolvit libens merito?* Salona *Martia Julia* in aliis Lapidibus dicitur, & in nummo Claudii apud Golzium, COL. IVL. SALONA. Inſcriptio alia IOVI VICTORI dedicata a Muratorio deſcribitur (*pag.* XI. 1.)

V.

Ex Sponio Sect. 1. *a.* 1.

VIBIVS. PIVS. DEO
SOLI. INVICTO. ARAM
DEDICO. VT. SIS. MIHI
PROPITIVS. MILITIBVS
CENTVRIONIBVSQVE MEIS

Legatus erat, inquit Clariſſimus Philippus a Turre (*de Mithra cap. ult. pag.* 338.) *vel Tribunus alicujus Legionis in Dalmatia degentis hic Vibius, atque Invictum ea Religione bellicis rebus præeſſe putabat, qua adfecti Imperatores aliqui numiſmata percuſſere* INVICTO & SOLI. COMITI. Cur autem invictus Sol? Conſuleſis, eumdem a Turre (*cap.* II. *pag.* 179.)

VI.

Ex Gudio XXVIII. V.

DIANAE. INVICTAE. LVCINAE.
D D
Q. ORTIVS. Q. FIL. QVIRIN. CVPIDVS
III VIR. CAPITAL. COL. IVL. MART.
SALONAE. ET. C. VELLIVS SERA
TIVS. QVIR. AVCTVS. IIII. VIR
QVINQVENN. SIGN. AEN. P. C.

Signum æneum poni curarunt. Hujus Q. Ortii mentio in honeſta Miſſione, quam in Militaribus proferemus. En iterum Salona *Colonia Julia Martia*. Triumviri Capitales ii erant, qui capitales infimæ plebis cauſſas cognoſcebant. De Romanis ejuſmodi Triumviris Conſule Pitiſcum; aliarum urbium, quæ Romanos Magiſtratus ambitioſe æmulabantur, ut notum eſt eruditis omnibus, Triumviros capitales ſervarunt nobis inſcriptiones vetuſtæ. *Triumvirum Capitalem* Ticino habemus in Lapide, quem refert Muratorius (*pag.* MCXIX. 4.) Ex duabus hiſce inſcriptionibus diſcimus, Salonam Quirinæ Tribui adſcriptam fuiſſe. Quid ſignum a ſtatua differat, notatum ab Oliverio in ſuis ad marmora Piſaurenſia egregiis animadverſionibus (*pag.* 20.)

VII.

Ex Spalatenſibus Schedis.

..IANE AVGUS
TE SILVESTRI
...IVSO POSV.
IT SEPTIMVS
PRO FILIO SVO

Supple initio *Dianæ*. Suſpicor autem in tertia linea legendum L. M. V. SO, nempe *Libens Merito Voto Soluto*. *Silveſtris* cognomen iis Dianæ cognominibus addendum, quæ Gyraldus congeſſit. Diana nempe

Montium cuſtos, nemorumque Virgo: *Hor.* (*Od. III.* 22.)

Quare apud Gruterum (XLI. 8.) Gudium (XXIX. 2. & 5.) Muratorium (XXXVI. 5.) *Nemorenſis* dicitur in Lapidibus.

VIII.

Ex MS. Spalatenſi Libello.

LIBERO. PATRI. S.

Lege *Sacrum*. Bacchum heic deſignari pervulgatum eſt.

IX.

Ex Muratorio XLI. 8.

LIBERO. AVG. SACRVM.
L. AVFVSTIVS L. F.
SER. CELER. AED. IIVIR
AEDEM D. S. P.

Lucius hic *Aufuſtius Lucii filius Celer Ædilis Duumvir*, qui *Libero Auguſto* (Auguſti nomen pleriſque gentium Diis commune) Ædem *de ſuo poſuit*, vel *de ſua pecunia*, e *Sergia* Tribu fuit, non ergo Salonitanus; Salonitanos enim vidimus in Tribu Quirina cenſos fuiſſe.

X.

Ex Schedis Spalatenſibus.

AEDEM. A....
ET SILVANO
AVG. SAC.
L. APROFENNIVS
CIRCITOR V.S.P.

Circitor cognomen heic eſt Lucii Aprofennii, qui Ædem *voto ſoluto*, ſeu *ſuſcepto poſuit Merc.* (ut ſuſpicor, nam Mercurius Silvano jungitur, etiam in Muratoriana Inſcriptione (LXXI. 3.) *& Silvano Auguſtis*.

XI.





Qui heic exhibetur Deus, Pan eſt, ut acutæ aures, caprini pedes, fiſtula ſeptem calamorum, quam ſiniſtra tenet, & recurvum pedum ſatis oſtendunt; hæc enim Panis ſymbola eſſe ignorat nemo. Vide Gyraldum (*Syntagm.* XV.) Cornua vel heic deſunt, vel parum apte efficta ſunt. Hæc tamen eminent in alia ejuſdem Panis tabula, cujus ectypen heic exhibemus. Venatorem fuiſſe Panem ſcimus; heinc dubio procul in utraque tabula canis venaticus cum dama inſculptus, atque in prima quidem, cujus cauſſa hæc adnotavimus, canis damam inſequens.

XII.

In ædibus quondam Nicolai Papalis Nobilis Spalatenſis ex MS. Libello Spalatenſi num. 65.

CONSENTIO DEORVM
MARC. AN. A. SOZOMENE
IMPERIO FECIT

Gruterus hanc edidit Inſcriptionem (III. 1.) qui quam errat eam Spoleti ponens, tanto propius veram lectionem attingit legens MARIAN. A SOZOMENE, nempe Mariana; quis enim ignorat in Lapidibus monſtra interpunctionum ſæpiſſime occurrere? Urſini Schedæ habent *Marianus Sozomenus . . . . Imperio. L. M. ex voto fec. Mariana* hæc *Sozomene conſentio Deorum*, conſentientibus nempe Diis fecit, qui hocce diſticho comprehenduntur.

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Confer Muſeum Veronenſe (*pag.* CCXXXVII.) & Mazochium (in Kal. Neap. pag. 158.) Formula *imperio* quid ſignificet, explicat Muratorius (*pag.* IV. 1.) *Conſentium Deorum* dictum heic vides nomine Lexicographis inaudito, veluti Collegium quoddam *Conſentientium* deorum. Sozomenis vero nomen in mentem revocat Florentinam illam Inſcriptionem a Cl. viro Gorio divulgatam (T. 1. Inſcript. Ant. Etrur. Urbium p. 288.)

SOZOMENETI . ALUMNAE
AVDIENTI
PATRONVS . FIDELIS.

Catechumena hæc fuit, ut *Audientis* nomen indicat; de quo, deque Patrum ſententiis ſuper Catechumenorum ſine baptiſmo decedentium ſalute vide Chardonium in hiſtoria Sacramentorum T. I. noſtraſque in illum obſervationes e Typographio Poletiano Venetiis brevi prodituras cum Latina Gallicæ illius hiſtoriæ verſione. Doctiſſimus Corſinius in ſecunda e ſex pereruditis diſſertationibus, quas Notis Græcorum adjecit (p. XXXIII.) exiſtimat, Oneſimen Catechumenam, cujus mentio in Muratoriano lapide (p. 1918. 9.) revera fuiſſe Neophytam, *etenim*, inquit, *ſola quatuor annorum ætas*, quam vixiſſe illa in Epigraphe dicitur, *pati vix poterat, ut Oneſime ſacris myſteriis inſtructa, ſuſcipiendique Baptiſmatis cupida foret*, adeoque recepta jam phraſi *Catechumena* diceretur. Corſinio laudato eamdem & ego in citatis ad Chardonium notis ſententiam ſequutus ſum. Verum re melius conſiderata aliter omnino ſentio; quis enim credat, Neophytam *Catechumenam* fuiſſe appellatam? quum tanta horum graduum eſſet in eccleſia diverſitas, ut nonniſi ab ineptiſſimo poſſent confundi. Fidelium autem infantes, qui per ætatem nec *Audientes*, nec *Competentes* eſſe poterant, *Catechumeni* tamen dicebantur, quum pro illis vel Parentes, vel Patrini ſponderent. Antiquiſſimi ordines *ad faciendum Catechumenum* non pro adultis tantum erant, ſed & pro parvulis, hique etiam antequam Baptiſmo initiarentur, iiſdem quibus ceteri Catechumeni, ſcrutiniis, aliiſque exercitationibus probabantur. Quid ergo mirum, puellam annorum quatuor *Catechumenam* in ſepulchrali titulo dictam fuiſſe?

XIII.

XIII.

In aula domus q. Nicolai Papalis Nobilis Spalatenſis ex MS. Spalatenſi Libello n. 63.

DIS. SYRIS
C. ALBVCIVS
CL. RESTITVTVS

De Diis Syris adi commentarium Johahnis Seldeni. Siglæ denotant Tribum, quæ fuerit ne *Cluvia*, an *Cluentia*, ignorare me non difficilis fateor.

XIIII.

Ex Spalatenſi MS. Libello n. 82.

THOMAS VIBVRNVS
PRO VOTO DEDIT

XV.



Furias heic habes, quas qui Statuam poſuit, vici ſui vindices eſſe voluit. Turpicula quoque dirarum obnunciatione ſui ſepulcri violatores deterret C. Cæcilius Florus in Inſcriptione, quam ex Fabretto (*Inſcr. dom. pag.* 110.) huc transfero.

C. CAECILIVS. C.
ET. Ɔ. L. FLORVS
VIXIT. ANNOS. XVI.
ET. MESIBVS. VII. QVI.
HIC. MIXERIT. AVT.
CACARIT. HABEAT
DEOS. SVPEROS. ET
INFEROS. IRATOS

CLAS-

CLASSIS II.

IMPERATORIA.

I.

Ex MS. Spalatenſi Libello n. 104.

CLAUDIO DRUST. CAESARI
AUG. CER. M. PONTIF. MAX.
TRIB. OPE. XI. IMP. XIIII COS. V
DEFENSORI PATRI PATRIE P.P. ANTEJO LEG.
PROPRIA

Siquid umquam informe eorum, qui Lapides deſcribunt, imperitia peperit, ejuſmodi certe hæc miſera inſcriptio eſt, digna cæteroqui meliori fortuna. Medicam quoad licet manum infeliciſſimæ dabo. Lege ergo

CLAVDIO DRVSI F. CAESARI
AVG. GERM. PONTIF. MAX.
TRIB. POT. XI. IMP. XXIII. COS. V.
CENSORI. PATRI PATRIAE PP.

Cetera qui refingam, non invenio. Annus XI. Tribuniciæ Poteſtatis Claudii anno Chriſti LI. reſpondet, quo etiam quinctum Conſulatum inierat. Imperatorem XXIII., atque adeo XXIV. apud Goltzium in *Theſauro rei antiquariæ* Claudium anno XI. Tribuniciæ Poteſtatis vocant inſcriptiones, Tillemontio teſte (T. 1. *Monum. Imp. pag.* 245. *Ven. edit.*) Eodem anno Tribuniciæ poteſtatis XI. Cenſuram adhuc gerebat ab anno Chriſti 47. quare in inſcriptionibus Tiberio poſt hunc annum poſitis *Cenſoris* nomine prænotatur; atque adeo ſi quid ſapio, *Cenſor* poſt annum Chriſti LI. dictus invenitur: *Cenſori* enim omnino explicanda Sigla *Cen* in Muratoriana inſcriptione (CCXXV. 7.) At quid reliqua? Siglæ PP. explicari facile poſſunt *poſuit Publius* (fortaſſis) *Antejus* LF. non E, nempe *Lucii filius*. Littera G, quæ ſequitur, cognominis, quod diffracto marmore deſideratur, prima littera eſt: deeſt autem præterea *pecunia*. Sed hæc divinando. Diſcant ii, qui inſcriptiones ex Schedis, & MSS. Codicibus emittunt in lucem, quæ monſtra, atque antiquariorum tormenta hinc ſæpe prodeant, mirenturque, qui fieri potuerit, ut Muratorio præſtantiſſimo viro hæc exciderint dicta (N. *Th.* CXV. 2.) *nullum diſcrimen ſtatuo inter epigrammata adhuc in vetuſtis Lapidibus exiſtentia, & quæ in ſuis libris veteres, aut in Schedis recentiores nobis ſervarunt*. Confer egregiam in Muſeum Veronenſe præfationem pag. VIII. & IX.

II.

Ex Sponio Miſc. erud. ant. Sect. II. *n.* XI.

FL. CONSTANTI. NOBILISSIMO
AC BEATISSIMO CAESARI
COLL. FABRVM VENERIS

Sponius inſcriptionem hanc dum reddidit ex Marulli MS., non animadvertit poſt verba *Coll. Fabrum*, ſeu Collegium Fabrum, alia in marmore fuiſſe, quæ vel negligentia, vel legendi imperitia prætermiſſa erant in MS. illo Codice. Quid enim quæſo *Collegium Fabrum Veneris*? At hi, inquit Sponius, *ſic dicti, quod eorum collegium Veneris ædem frequentaret*. Ohe, ſat eſt. Quam ſcite! Quam docte! Alia Fabrum Collegia putaſne, Sponi, non frequentaſſe ædes Jovis, Saturni, Apollinis? At nuſquam invenies *Collegium Fabrum Jovis, Saturni, Apollinis* &c. Illud optime a Sponio dictum, ſpectare hanc inſcriptionem ad Flavium Conſtantium Chlorum.

III.

Ex Muratorio pag. CCLXI. 3.

CL. CONSTANTINO NOBI
LISSIMO AC PRAESTANTIS
SIMO CAESARI
. . . . FABRUM
. . . . VENERIS

Hinc ea confirmantur, quæ nuper diximus de Sponiano Collegio Fabrum Veneris.

CLASSIS III.

DIGNITATES, ET OFFICIA NOBILIORA.

I.

Ex Reineſio VI. 81.

T. RVBRIVS. T. L. PHILOMVS
IIII. VIR
TESTAMENTO. FIERI. JVSSIT
SIBI. ET
BAVREAE ΣΣ. L. RVFAE
ET T. RVBRIO. T. F. ALBAE

Salonis hanc collocat Inſcriptionem Reineſius, qua de cauſſa eam heic refero. Ceterum inter Epigrammata reperta a Cyriaco Anconitano ea quoque legitur num. 174. ac Tragurii ponitur; præterea Cyriacus legit IIIIII. Vir, ſeu Sevir, non IIII. Vir, uti Reineſius. De more Reineſius nomina refingi audacter jubet, ac legi *Philomuſus* in primo verſu, in quincto *Rubriæ*, *Albao* in ſexto. Siglas ΣΣ. L. interpretatur idem Reineſius *Duorum Titorum Libertæ*: quod non probo. Explico; *Duorum ſextorum Libertæ*. Vides heic ſpecimen barbaræ illius licentiæ, quæ in Latinas Inſcriptiones litteras Græcas interdum intulit.

II.

Ex Muratorio DCLXXXIV. 6.

P. CAETENIUS AGATHIAS
V. F. S. ET CAETENNIAE
P. L. VENVSIAE. ET. P.
CAETENNIO VENVSIO
VI. VIR. FIL. EIVS

Vivus fecit ſibi ... *P. Libertæ* ... *Seviro filio ejus*. Fortaſſe ſcribendum *Venuſtæ*, & *Venuſto*.

III.

Ex MS. Spalatenſi Libello n. 88.

D. M.
TVLLINAE JANVARIAE DEFVNCT.
ANNORVM XL. C. ALBVCIVS PVBLI
VS SEX VIR AVGVSTAE CONIVGI
RARISSIMAE ET SIBI POSVIT
LOCVS DATVS A. FL. SOZONTE

Hanc

Hanc Inſcriptionem mancam, & inemendatam e Schedis Mariangeli Accurſii dedit Muratorius (*pag.* MXXX. 8.) Nec tamen correctiſſimum crediderim exemplum P. Danieli Farlato tranſmiſſum. Quid enim ſit *Sex Vir Auguſtæ* non intelligo. Ait quidem Muratorius Salonam heic denotari, quæ in Ligorii nummo apud Spanhemium, & Harduinum dicitur COL. CLAVDIA. AUGUSTA. PIA. VETER. SALONA. Sed ut demus Muratorio fictitium non eſſe hunc nummum, de quo iidem ab eo citati auctores Spanhemius, & Harduinus admodum dubitant, vix induci poſſum, ut putem Salonam heic *Auguſtam* abſolute dictam fuiſſe, haud adjecto *Coloniæ*, idve genus alio nomine. Quamobrem Albucium, fuiſſe *Sevir. Auguſtal.* ſive Sevirum Auguſtalem facile credo; quemadmodum *L. Varius Ver.*, quem memorat marmor mox referendum. *Defuncta* dicitur Tullina, formula, quæ Chriſtianis familiaris fuit, ſed in Salonitanis, aliiſque Delmatiæ Lapidibus etiam Ethnicis ea longe uſitatiſſima, ut mirer Cl. Muratorium Traguriense hoc marmor inter Chriſtiana recenſuiſſe (*pag.* MDCCCLXXVI. 7.)

FORTVNIO
DEF. ANN. III. MENS. XI.
C. AETENIANVS. ET VICTORINA
ALVMNI CARISSIMI

Nullum enim heic indicium, quo Fortunius credatur fuiſſe Chriſtianus, niſi Sigla *def*, quæ *defunctum* ſignificat; at hæc, ut dicebam, formula apud Delmatas Ethnicis æque atque apud nos Chriſtianis Lapidibus communis fuit.

IV.

In Inſula Urania vulgo Uragniz Spalatenſis ditionis, ex ruinis Salonarum, Lib. Ms. Spal. n. 13. & 107.

L. VARIVS L.L. VER.
IIIIII VIR AVG.....
LIBERTIS LIBERTABVSQ.
EORVM. H. M. SIVE SEPVLCRV..
IN. FR. P. XX. IN. A. P. XX.

L. Varius Lucii Libertus (fortaſſe cognomine) *Verus Sevir Auguſtalis* fuit. Penultima linea ſuppleri fortaſſe poſſit, additis conſuetis Siglis E. H. N. S. ut ſenſus ſit, *hoc monumentum ſive ſepulcrum extraneum heredem non ſequitur*. Quid extremæ lineæ notis ſignificetur, vulgatum eſt: *in fronte pedes* xx. *in agro pedes* xx.

V.

Fragmentum ibidem ex ruinis Salonarum Lib. Ms. Sp. n. 12.

..MNA.......
IIIIII VIR A.........
VXORI. E IMI.......
SALLVSTIALI......
ASIATICO. LIBET......
SAEVE SVNT........
H. M. SIVE

VI.

Ex Lib. Ms. Spal. n. 36.

T. TITISENI
CONVICTO
RIANI DEC. C. COL.
SALON. SACERD.
T. TITISENVS
VALENTINVS
7 LEG. FILIVS

Fortaſſe in marmore ſcriptum fuerat DEC. C. CL. nempe *Decurionis Coloniæ Claudiæ Salonæ Sacerdotum*. Quod ſi marmor diligenter exſcriptum eſt, Siglas interpretem *Decurionis Collegii Coloniæ Salonitanæ Sacerdotum*. Utrumlibet legas, Inſcriptio eſt non contemnenda. Non ſine exemplo eſt illud *centurio legionis filius*, quo clauditur Inſcriptio, nulla addita nota, quæ legionem deſignet. Vide Muratorium (*pag.* DCCXCVIII. 2.)

VII.

Ex MS. Spal. Libello n. 5.

D. M.
M. AVRELI. HER
MOGENIS. EQ.
ROM. DRC. AEDIL.
CVR. DEF. AN. XX. D. III.
M. AVREL. AVGG. IB.
HERMES. PROC.
PIISSIMO
FILIO

Oſcitanter deſcriptum marmor. Equidem lego; *Eq. Rom. Dec.* deinde *Augg. Lib.* interpretor autem. *Diis manibus Marci Aurelii Hermogenis Equitis Romani Decurionis Ædilis Curulis Defuncti Annorum XX. Dierum III. Marcus Aurelius Auguſtorum Libertus Hermes Procurator Piiſſimo filio*. Ne mireris porro Liberti filium Equitem Romanum, alium habes apud Muratorium (*pag.* DCLXXXVIII. 1.) Quantam ad dignitatem evecta eſſet Libertorum conditio, Imperio præſertim inclinante, quo certe poſitus Salonitanus hic Lapis, ut duorum Auguſtorum mentio indicat, neminem latet. Quod autem M. Aurelius Hermogenes heic dicatur *Ædilis Curulis*, ex ea proceſſit, quam ſplendidiores Coloniæ adſectarunt, Romanarum dignitatum æmulatione. In marmore quoque Piſaurenſi occurrit *M. Nævius* M. F. *Pal. Juſt. Veriſſimus Ædil. Curul.* Vide autem quæ ad illud marmor commentatur doctiſſimus Oliverius (*pag.* 2.)

VIII.

Ad S. Johannem de Lacu extra muros Spalati ex MS. Lib. Spal. n. 93.

G. BASILIDES EQ. R. ET AVR. VIBIA
VIBIANAE MATRONAE PARENTI
FIL. RARISS. VV. FF.

Mancam habebamus apud Gruterum pag. 374. 4. qui Polæ illam collocat. Interpretor: *Gajus Baſilides Eques Romanus & Aurelia Vibia Vibianæ Matronæ Parenti filii rariſſimi vivi fecerunt*.

IX.

Ex MS. Spal. Lib. n. 132.

PVBLIO BALSAMIO SABINIANO
C. TRIB. LATI. CLS. FILIO AVR.
SABINIANIVE. PROC. DVC. PROC.
DALMAT. TRIB. HIC MVRILLVM
EPIGRAMMA. N. S. VIGOR CONCOR
DIVS VICTORINIANVS PATRONO
PRESTANTISSIMO.

Tribunum Laticlavium heic video; de cujus munere, deque a Tribunis ſimpliciter dictis, atque a Tribunis Auguſticlaviis diſcrimine videſis Lipſium (*de milit. Rom.* l. 2. c. 9.) Pancirolum (*in Notitia dignit. Imp. Orient. c.* 37.) alioſque. Video præterea *Procuratorem Ducenarium* (confer Oliverium in notis ad *marmora Piſaurenſia* p. 16. & *ſeq.*), *Procuratorem Dalmatiæ*. Cetera peſſime deſcripta.

X.

X.

Ex MS. Lib. Spal. n. 207.

Q. PAETO. OPTINO
Q. F. SERG. VALEN
TINO. D. CC. AEDILI
FLAMINI DIVI
TRAIANI AVG.
TRIVMVIRO. DESIG
NATO. CALPVRNIA
MARITO. PIENTIS.

Habemus heic *Quinctum Paetum Optinum Quincti filium Sergia* (ex Tribu ſcilicet Sergia) *Valentinum Decurionem Coloniæ Claudiæ* (Salonitanæ nempe) *Ædilem*, *Flaminem Divi Trajani Auguſti*, *Triumvirum* (ut equidem puto, Capitalem) *deſignatum*, cui *Marito Pientiſſimo Calpurnia* monumentum poſuit. Sed quid heic Tribus Sergia? Num a Quirina Tribu, cui adcenſam vidimus alibi Salonam, ad Sergiam tranſierat? ut ſæpe factum. Vereor etiam, ne Tromentinæ quoque Tribui adſcripta fuerit Salona. Hæc iis, qui marmora noſtra inter ſe contulerint, diſpicienda relinquo. Vide præſertim quartum marmor Claſſis nonæ.

XI.

Ex Sponio Miſc. Eruditæ Antiquit. Sect. II. artic. XI.

T. VETIO.
AVGVSTALI.
DECVRIONI. COL. SAL.
QVAESTORI. AEDILI. II. VIR.
IVRE. DIC. PRAEFECT. ET. PATRON.
COLL. FABR. oB. MERITA
EIVS. COLL. FABR.
EX AERE CONLATO

Hanc inſcriptionem hauſit ex Lucio Sponius. *Auguſtalem* non dignitatis nomen heic crediderim, ſed cognomen. *Coloniæ Salonæ* municipales Magiſtratus ex ea diſcimus non ita paucos. Notiſſima formula ea eſt *ex aere conlato*, de qua conſule ſis Clariſſ. Oliverium in notis ad *Marmora Piſaurenſia* (p. 105.)

XII.

Ex eodem, ibidem.

AVR. QVINTIANVS. DEC. COLL. FABR. ET. CENT.
QVI. VIXIT. ANN. P. M. L. MENS. V. D . . .
VIVVS SIBI. POSVIT. ET. AVR. IENVARIAE
CONIVGI. SVAE. COT. SI. QVIS. AEAM. ARCAM
POST. MORTEM. EORVM. APERIRE. VOLVERIT.
INFER. DECVRIAE. MEAE. XXV.

Leges *inferet* in extrema linea; in prima autem: *Decurio Collegii Fabrum, & Centonariorum*. Cave putes Collegia iſthæc, quæ in aliis quoque lapidibus conjuncta noveramus, militaria fuiſſe. Fuere Colonicorum Artificum collegia, *Fabrum* quidem, univerſorum nempe artificum, qui Fabrorum nomine continentur, Ferrarii, Murarii &c. *Centonariorum* vero eorum, qui ſtragula quæque conficiebant. Vide Oliverium in notis ad *Marmora Piſaur.* (p. 140.)

XIII.

Ex MS. Spal. Lib. n. 111.

L. FL. PRAET. CLEMENT. JVLIAN. PONTIF.
QVINQVENNAS. DESIGNATO. FLAMINI
PATRON. COLONIAE. PRIMIPLI. LEG. V̄
MACEDONICAE. PRAEFECT. CASTRORUM
LEG. EJVSDEM. VETERANO. QVI MI
LITAVER. SVB. AVR. MEMTINO. REGVLO
ANGRELI ET MISSI SVNT. Q. EVTETIO
LVCIO SATVNINO. M. SEJO. VERANO
COS. CVRAM GERENTIBVS. TI. CLADIO
CELSO TI. AVG. COMBIO. M. TAVRITIO
MARCELLINO. L. D. P.

Quam dolendum præclarum hoc marmor ab imperito deſcriptore fuiſſe corruptum! Quid ſit *Praet* alii viderint. Suſpicor, ſcriptum fuiſſe in marmore PF. AEL aut AEM *Publii Filio Aelia* (ſi uſquam fuit) aut *Aemilia* (nempe Tribu). *Quinquennas* a deſcriptore prodiit. Marmor habuit ſine dubio *Quinquennal*. *Primipli* munuſculum aliud eſt exſcriptoris, pro quo lege *Primipilo*. *Veterano* en tertium ſphalma oſcitantis Antiquarii: reſigo: *Veterani*. *Angreli* ubi nam gentium eſt? Andretium novi ego, quo in caſtello Tiberius *fugientem* Batonem *obſedit*, ut ait Dio Caſſius l. 56. *quod erat ad ipſas Salonas ædificatum in munita, & inaceſſa rupe, profundis convallibus, quæ torrentes fluvios habebant, cinctum*. Tiberii Auguſti mentio, quæ mox ſit, quemadmodum probat, Lapidem vel imperante, vel certe a paucis annis defuncto Tiberio poſitum fuiſſe, ita ſuſpicionem auget, veteranos, qui ſub Aurelio Memtino Regulo militaverunt, Andretii pugnaſſe contra Batonem. Miſſi autem fuerunt, ſcilicet honeſte dimiſſi *Q. Eutetio Lucio Satunino* (Saturnino malim) *M. Sejo Verano Conſulibus*. Enimvero honeſtis miſſionibus adſcriptos fuiſſe Conſulatus probat præclara illa honeſta Miſſio, quam in Arte critica diplomatica edidit Clariſſimus Maffeius. At quinam hi Conſules? Suffectos opinor, qui Faſtis addendi erunt ſub Tiberio. Pergamus. TI. CLADIO CELSO TI. AVG. COMBIO. Ita peritus ſcriba; non ita marmor: forte: *Ti. Claudio Celſo Ti. Aug. L. Combio;* quod tamen non ſatis adridet, vel potius LIBERTO. L. D. P. explico: *Locus Datus Publice*.

Nunc de L. Flavii *Clementis Juliani* muneribus, ac dignitatibus pauca dicenda ſunt.

Pontif. Pontifices fuere etiam in Coloniis & Municipiis.

Quinquennal. deſignato. Quod Romæ Cenſores, id in Coloniis, & Municipiis Quinquennales. Conſule Oliverii notas in *Marmora Piſaurenſia* (*p.* 68. *& ſeqq.*)

Flamini. Pontificia dignitate inſigniti *Flamines* ſimul fuere non raro. Exemplum habes in Muſei Veronenſis lapide (p. LXXXI. 8.)

Patron. Coloniæ. Patroni Coloniarum in lapidibus crebro occurrunt. Conſule *Marmora Piſaurenſia* XXXIII. & LVIII.

Primipilo leg. V̄. *Macedonicæ*. Primus Pilanorum Centurio Primipilus erat, iſque, ut Vegetii verbis utar (*lib.* II. *cap.* 8.) *non ſolum Aquilæ præerat, verum etiam quatuor centurias, hoc eſt quadringentos milites, in prima acie gubernabat*. Legionem quinctam Macedonicam in Germania inferiore in caſtris apud Vetera Auguſtus inſtituerat. De ea Panvinius in *Imperio Romano* (*p.* 823. *p.* 836. *p.* 852.)

Præfect. Caſtrorum leg. ejuſdem. Conſule Vegetium (*lib.* II. *cap.* 10.)

CLASSIS IV.

MILITARIA.

I.

Ex Spalatenſi MS. Libello n. 203.

DYCONI SEXTENIO LATINAE CLAS.
PRAEFEC. VC. PRAESIDI PROVINC.
DALMAT. L. FELICIANO. ORDIN. MIL.
LEG. SYRIAE. AEMILIVS MEMP
TINVS AEDIL. PATRONIS PRESTAN
TISSIMIS

Præſtantiſſima & hæc Inſcriptio eſt, qua Latinam Claſſem, ejuſque Præfectum Dyconem Sextenium Virum Clariſſimum, Præſidemque Provinciæ Dalmatiæ commemorat. Sunt qui omnino ex Lapidibus *Delmatiam*, & *Delmatas* ſcribendum adſerant. Non unus tamen hic Lapis eſt, in quo Dalmatia, non Delmatia. Ne mireris autem Præſidi ſimul, & Ordinario militi Legionis Syriæ poſitum marmor; ſcito Ordinarios milites fuiſſe primum Gregarios, deinde eos fuiſſe, *qui*, ut ait Vegetius (lib. 2. c. 7.) *in prælio quia primi ſunt, primos ordines ducebant*.

II.

Ex Muratorio pag. 853. 3.

Q. SERVILIO
M. F. PALAT
PACVVIANO AED.
PRAEF. COHORT. I
MORINORVM
M. SERVILIVS COPIEN
SIS PACVVIANVS
PATER FECIT ET SIBI

Cohortem primam Morinorum ex hoc marmore primum innoteſcere notat Muratorius, qui illud ex Johanne Lucio deſcripſit. Extremos hominum Morinos vocat Virgilius (Æneid. L. VIII. v. 727.) Vide Cellarium (*Geogr. ant. lib. 2. c. 3. ſect. 15.*) Fuit hic Quinctus Servilius Marci filius Pacuvianus Ædilis, & Præfectus Cohortis primæ Morinorum ex Tribu Palatina.

III.

Ex MS. Spal. Lib. n. 191.

AEL. VRSACIO. MIL.
ſic CORTIS. VIII. VOLVNT.
QVI VIXIT. ANNIS. XXV. MENS. VIIII.
MARITO. PIENTIS. POSVIT

Nomen ſuum adſcribere oblita eſt *Ælii Urſacii militis Cortis* (ſcilicet Cohortis) *octavæ voluntariorum* bona uxor. Ejuſmodi ineptias exemplis confirmat Lupius noſter (*pag. 165. & ſeqq.*)

IV.

Ex MS. Spal. Lib.

C. VIVIANO PHILOMARINO
LEG. VII. CENT. P. P.
AB. HOST. INTEREMPT.
VALERIANA. CONIVX
VIRO. S. BENIGNIS. P.
ET IPSA. D. III. DOL. MSQ. OCCVB.

Præclarum exemplum hic habemus conjugalis amoris. *Valeriana conjux viro ſuo benigniſſimo poſuit, & ipſa die tertio dolens mærenſque occubuit*. Sed quid Siglæ LEG. VII. CENT. P. P. Equidem ſuſpicor Siglis P. P. nomen Centurionis, in cujus Centuria militans Cajus Vivianus Philomarinus ab hoſtibus interemptus eſt, denotari. Nam id in Inſcriptionibus familiare eſt, ut non ſolum Legio, ſed & Centurio adſcribatur: ſic in Muratoriana 781. 3. legimus *Leg. III. Parth. Centuria Aurelii*. Quare interpretor ſingularias *Legionis ſeptimæ Centuria*: Quis autem fuerit Centurio P. P. divinent alii.

V.

In Inſula Urania vulgo Uragniz Spalatenſis ditionis ex ruinis Salonarum (Lib. Spal. MS. 104.)

FANIÆ MAXIMÆ
INNOCENTISSIMAE PVELLAE
QVAE VIXIT. ANN. II. M. VIII.
AELIVS MARTIANVS B. F. COS.
LEG. I. ITAL. DVLCISSIMAE

Martianus fuit *Beneficiarius Conſulis Legionis primæ Italicæ*.

VI.

Ex MS. Spal. Lib. n. 121.

M. IVL. M. F. VOLT. PATERNVS
AQVIS SEXTIIS. MIL. LEG.
VI. VIC. TRI. C. LEG. VIII. AVG.
LEG. XIIII. G. M. V. LEG. XI. C. P. F.
ET. EX. X. IVLIA. T. F. MAXI
MA VXOR. ET. M. IVL. MIL. DOCI
MVS. H. F. C.

Satis negligenter deſcripta eſt Epigraphe, ex qua diſcimus Aquas Sextias Voltiniæ Tribui adſcriptas fuiſſe. Nam ex hac Tribu fuit *Marcus Julius Marci filius Paternus* Aquiſextienſis *Miles Legionis ſextæ victricis* (ne interpunctionem curato) *Legionis Octavæ Auguſtæ*, *Legionis quartæ decimæ Geminæ Martiæ victricis*, *Legionis undecimæ Claudiæ Piæ Fidelis* (perperam heic P. ſcriptum) & *Legionis* x. (ſic enim omnino legendum) Titulum *Julia Titi filia Maximi uxor*, & *Marcus Julius Menennia* (Tribu ſcilicet, nam ſi alio in loco Sigla eſſet, *Miles* interpretarer, heic autem nonniſi Tribus intelligi poteſt; *Mil.* autem Tribus nuſquam legitur; in marmore ſcriptum igitur fuerit ME) *Docimus Heredes fieri curarunt*. Docimi cognomen habemus in Romana Epigraphe, quam edidit Gorius V. C. (*Symbol. vol. v. pag. 21.*)

VII.

Ex MS. Spal. Lib. n. 116.

AVRELIO APOLINARI VETE
RANO. AVR. DELMAI
VS FILIVS PATRI
PIENTISSIMO

Delmatium crediderim ſcriptum in marmore, non Delmaium. Compendia VETERANO *Veteranum* indicant fuiſſe Aurelium Apolinarem.

VIII.

Ex MS. Spal. Lib. n. 118.

D. M.
FL. CAROSO VETERANO
ATTIGIA VRSAGIA
COMPATRI BENIGNISSIMO

IX.

Ex MS. Spal. Lib. n. 163.

D. M.
C. MA. SELIN. ROMVLO
VETER. INTEGERRIMO. . . .
GERENTI. AVTORITE. ANN. . .

Peſſime deſcriptum marmor exhibeo Romuli Veterani Integerrimi.

X.

X.

Ex Schedis Spalatenſibus.

D. M.
M. DIONY
SIVS FIRMV
VETERAN
EX. CL. PR. RA
VENN. M. DIO
NYSIVS FIRMVS
FIL. PATRI PNSSIMO

Mirum Patrem, filiumque eiſdem plane prænominibus, nominibus, & cognominibus, appellatum fuiſſe; niſi in tertia linea Firminum legas. Quid vero uterque recto caſu poſitus? Ut ut ſe res habet, habemus hic Veteranum ex Claſſe Prætoria Ravennate, cui Patri Pientiſſimo filius monumentum poſuit.

XI.

Ex Ms. Lib. Spal. n. 97.

In agro Spalatenſi prope Eccleſiam S. Stephani.

D. M.
L. SEXTILIO VET. EX CLASS.
PRATORIA MISENATVM, ET PA
PIRIAE. HELIPIDI. PARENTIBVS. ET
SEXTILIAE VALERIAE SEXTILIA
RVFINA FECIT

Fortaſſe in marmore erat *Helpidi*. De Claſſe Prætoria Miſenatium conſule Gorium (Tom. I. *Inſcript. Etrur. Urbium p. 237.*)

XII.

Salonis

Ex Lib. Ms. Spalatenſi n. 194.

A. STATILIO VMBRO
LEG. III. PROVINC. SYRIAE
L. ANNIVS. VICTORINVS
A. RARISSIMO
F. C.

Leges: *amico rariſſimo faciendum curavit*. Confer autem primam hujus Claſſis Inſcriptionem.

XIII.

Ex Spal. Schedis, & Lib. Ms. Spal. n. 47.

M. ANTONIVS. M. F.
SER. SVRVS. VET.
LEG. IIII. F. F. T. F. I. SIBI. ET
FABIAE PRIMAE
VXORI ET
LIB. LIB. ET
HERMETI
IN F. P. XII. IN AG. P. XIX.

Nullius negocii eſt lapidem hunc interpretari. Lego igitur: *Marcus Antonius Marci filius Sergia* (Tribu) *Surus Veteranus Legionis quartæ Flaviæ Felicis Titulum*, (aut ſi mavis) *Teſtamento fieri juſſit ſibi, & Fabiæ Primæ uxori, & Libertis, Libertabus, & Hermeti. In fronte pedes duodecim; in agro, pedes novemdecim.*

Sed *Suri* nomen me monet, ut heic ineditam, illamque Delmaticam, etſi non Salonitanam Inſcriptionem exhibeam, quam mecum vir æque humaniſſimus atque doctiſſimus Marchio Maffejus communicavit. Unde eruta ſit, ignoro; ſcio eximiam eſſe. En illam.

SVRVS. SPARVCI. F.
DOM. TRIBOCVS
EQVES. ALAE. CLAVD
IAE. NOVAE. ANN. XXX.
STIP. XIII. H. S. T. F. I.
ARBITRATV. CELARI. SES
QVIPLICARI. EREDIS.

Liceat autem de illa pauca commentari.

I. Fuit *Surus Sparuci Filius domo Tribocus*. Triboci populi erant Germaniæ Superioris; ſed heic urbs Tribocorum aliqua denotatur, quæ quidem num Brocomagum, num Helcebus, num hodiernum Argentoratum fuerit, adfirmare non auſim. Conſule Cellarium (*Geograph. ant. lib.* II. *c.* 3. *ſect.* 7.) Unum hoc ſcio, ex hoc lapide Orthographiam confirmari, quam Sponianus alius lapis a Cellario ipſo redditus (*num.* 89.) uti & Muratorianus (*pag.* 1089. 1.) docuerant, nec *Tribocceus*, aut *Tribocbus* ſcribendum eſſe, ut habent Plinii, ac Strabonis editiones aliquæ, ſed *Tribocus*. Dixi *Urbem* heic denotari, idque ob ſiglam illam *Dom. domo* ſcilicet, qua cujus civitatis eſſet quiſpiam, veteres in lapidibus deſignabant, ſic *domo Arretio, domo Aquilejenſis, domo Alinas*, & ſexcenta id genus habent lapides.

II. *Eques Alae Claudiæ Novæ*. *Miſſicium Alae Claudiæ novæ* habebamus in egregio marmore *Virdomari Tharontis* F. *domo Bituricis*, quod nunc exſtat in Muſeo Veronenſi, editumque eſt a Maffejo (*Muſ. Veron.* p. CXXI. 3.) Tragurii olim fuit hoc marmor, quod ex Lucio peſſime corruptum in ſuum Theſaurum intulit Muratorius (p. 870. 3.) Idque moneo, quod ex utriuſque marmoris collatione videor mihi illud inferre poſſe, in Liburnis alam claudiam novam conſtitiſſe, dubio procul ſic dictam, quod Claudius eam Imperator inſtituiſſet.

III. H. S. T. F. I. *Hoc ſepulcbrum teſtamento fieri juſſit.*

IV. *Arbitratu. Celari. Seſquiplicari.* Seſquiplicarius hic fuit, ſeu ſeſquiplaris quemadmodum T. Fl. Saturninus, cujus inſcriptionem videſis apud Fabrettum p. 104. Seſquiplicarios autem fuiſſe, qui annonam unam ſemis adcipiebant, ex Vegetio (*lib.* II. *cap.* 7.) aliiſque monumentis eſt exploratum. Verum tam equites, quam pedites ejuſmodi eſſe poterant. Saturninus ille Fabrettianus Eques fuit. Fortaſſe & hic Celarius, qui Suri Equitis heres fuit.

XIV.

Ex Muratorio pag. 809. 3.

T. CVRTIACVS. T. F. LEM. BON
VET. LEG. VII. F. H. S. E. T. F. I.

Hoc eſt, inquit Muratorius, *Lemonia* Tribu, *Bononienſis Veteranus Legionis ſeptimæ Felicis, aut Fidelis heic ſitus eſt. Teſtamento fieri juſſit.* Numquam ego interpretabor Siglam *Bon Bononienſis*, quum eo loco cognomen eſſe oporteat, puta, *Bonum, Bonitum*. Neque placet explicatio Siglæ F *Felicis*, aut *Fidelis*. *Flaviæ* interpretari malim, ut in alio Muratoriano Lapide p. 930. 13.


T·FVFICIVS·C·F·POL·VET·LEG·XX·
T· FVFICIVS ·T· L· PRIVATVS
FVFICIA·)L·PRISCA·FVFICIA·T·L·PRIMA

Pol. *Polenſem* interpretaretur Muratorius, quemadmodum ſupra *Bon Bononienſem* reddidit: ſed heic iterum ajo cognomen eſſe ex. gr. *Polybii*, *Polybiani*, utrumque cuim habent lapides. *Pollia* nempe Tribu expeditius eſſet interpretari, ſed cognomen deſideraretur: exemplum autem ſuperioris Lapidis demonſtrat, ipſa cognomina Siglis fuiſſe inſculpta. Gens *Fuſicia* etiam in inſcriptione Florentina reperitur, quam indiligenter deſeribens Muratorius (*pag.* 1511. 9.) *Fuſiliam* gentem inauditam commentus eſt. Vide Hagembuchium (*de Diptycho Boethii Cons. p.* 147.)

XVI.

Inſignis honeſta Miſſio aneis tabulis inſculpta olim Salonæ, nunc in Muſeo Mediceo
Ex Grutero, (p. 974. 5. 6. 7.)
& Gorio (*T. I. Antiq. Inſcript. Etrur. Urbium* p. 69.)

IMP. CAESAR. DIVI VESPASIANI F. DOMITIA
NVS. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIFEX MAXI
MVS. TRIBVNIC. POTESTAT. $\overline{XII}$. IMP. $\overline{XXII}$. COS. $\overline{XVI}$.
CENSOR PERPETVVS P. P.
PEDITIBVS. ET. EQVITIBVS. QVI. MILITANT. IN. COHOR
TE $\overline{III}$. ALPINORVM. ET. IN. $\overline{VIII}$. VOLVNTARIORVM.
CIVIVM. ROMANORVM. QVI. PEREGRINAE. CONDICIO
NIS. PROBATI. ERANT. ET. SVNT. IN. DELMATIA. SVB. Q. POM
PONIO RVFO. QVI. QVINA. ET. VICENA. STIPENDIA.
AVT. PLVRA. MERVERVNT. ITEM. DIMISSO. HO
NESTA. MISSIONE. EMERITIS. STIPENDIIS
QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS.
LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM. CIVITATEM.

DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS.
QVAS. TVNC. HABVISSENT. CVM. EST. CIVI
TAS. IIS. DATA. AVT. SI QVI. CAELIBES. ESSENT CVM
IIS. QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT.
SINGVLI. SINGVLAS. A. D. III. IDVS. IVLIAS
M. LOLLIO. PAVLLINO. VALERIO. ASIATICO. SATVRNINO,
C. ANTIO. IVLIO. QVADRATO. COS. *ſic*
COHORT. $\overline{III}$ ALPINORVM, CVI PRAEST
C. VIBIVS. MAXIMVS
PEDITI
VENETO. DITI. F. DAVERS
ET MADENAE. PLARENTIS FILIAE; VXORI EIVS DERIAVST
ET GAIO F. EIVS
DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX TABVLA.
AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE.
IN MVRO. POST TEMPLVM DIVI AVG. AD MINERVAM

A. VOLVMNI	EXPECTATI
Q. ORFI	CVPITI
CN. EGNATI	VITALIS
SEX. MANLI	CINNAMI
L. PVLLI	SPERATI
P. ATINI	AMERIMNI
L. PVLLI	VERECVNDI

Præſtantiſſimus Maffeius tum in prima de Antiquitatibus Galliæ epiſtola, cum in Muſeo Veronenſi (*p.* xcviii. *& ſeqq.*) pleraque occupavit, quæ poſſem in has tabulas commentari. Adi etiam ejuſdem hiſtoriam diplomaticam (*p.* 31. *& ſeq.*). Unum heic addo, ex adnotatis Conſulibus manifeſto colligi, Tabulas haſce anno Chriſtianæ æræ xciii. deſcriptas fuiſſe, atque recognitas. De his Conſulibus vide Gorium (*p.* 71.)

Deformatam ediderat Gruterus; ad autographum exemplum reſtituit citatus Gorius de antiquaria re optime meritus; in ejus tamen editionem inrepſit DITI. E, quod ex Maffeio emendavimus.

CLAS-

CLASIS V.

OFFICIA DOMUS AUGUSTÆ.

I.

Ex MS. Spal. Libello n. 48.

C. ORCHIVIO. AMEMPTO. DECVR. ANN. XIIX. ORCHIVIA PHOEBE
MATER. FECIT. SIB. AMEMPTO. CESARIS. AVG.
DISP. CONIVGI. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. POSTERISQ.
SVIS. ET. EORVM. ET. RHODINO. AMEMPTI. CAESARIS . . . .
IN. FRONTE. CVM. TABERNA. P. LII. INAGRO P. XLV. HOC. MONVMENTVM
SIVE SEPVLCHRVM. REST. EXTRANEVM. HEREDEM NON SEQVETVR

Fabrettus (*Inſcr. Dom. p. 294. & ſeqq.*) pluribus contendit, Diſpenſatores ſervilis conditionis fuiſſe. Maffeius (*Muſ. Veron. p.* cxxx.) *M. Antonii Pallantis* L. (Liberti) *Nobilis Abaſcanti Aug. diſp. a ſrument.* Inſcriptionem referens jam adnotaverat, id generatim verum non eſſe. Confirmatur luculenter hæc Maffeii opinio ex lapide noſtro; numquid enim Servi Libertos, Libertaſque habuiſſent? Animadverte jam formulam illam *in fronte cum taberna P.* (Pedes) *LII.* Nonnumquam intra ſepulcri ambitum, quem ſacrum eſſe volebant veteres, diſertis verbis ædiculas, idque genus alia exprimebant. Confer Maffeii Inſcriptiones varias (*Muſ. Veron. p. 269. 2.*) ibi leges: *in fronte comprehenſis ædiculis tribus ped. octo. Ædicula oſſuaria* legitur apud Muratorium (1665. 2.) Heic vero *Taberna* comprehenditur. *Tabernarum* mentio in aliis ſepulcralibus Titulis, ut apud Muratorium (*997.* 11. & *1371. 5.*) *Taberna* (ait S. Iſidorus *lib. 15. c. 2.*) *olim vocabantur ædiculæ parvæ & ſimplices*. Siglam *Reſt* explico *Reſtitutum*. In Kirkeriani Muſei illuſtri Inſcriptione apud Lupium (*p.* 159.) habebamus *Monimentum Virgine*. In Muratoriano Lapide (*pag.* 542. 2.) T. Ælius Sentinianus *petit a Pontificè* (ſic) *ut ſibi permitterent reficere N.* (novum) *Monumentum juris ſui*.

Heic videmus ſepulcrum *Reſtitutum*, quod quidem idem credo ac *Refectum*, & elatis, quæ intus erant, oſſibus, iterum veluti dedicatum. Quod ad illam formulam ſpectat *hoc monumentum, ſive ſepulcrum*, conſule Fabrettum (Inſcript. domeſt. c. 11. p. *95.*). Monumentum *de loco puro dicebatur, qui deinde locus poſt inlatum cadaver. ſepulcrum evadebat*, ut explicat Lex *monumenta* 42. D. de relig. & ſumpt. funer. *Quare ad incertitudinem, dubietatem, & controverſias tollendas utrumque comprehendebant*. Ab hac formula initium ducit Inſcriptio, quam inter Florentinas recitat Gorius (T. 1. Inſcr. Ant. Etrur. Urbium p. *379.*)

II.

Ex Muratorio p. 913. 2.

PHRYGIO. AVGG. NN.	*Auguſtorum noſtrorum*
AB INSTRVMENTIS	
DEF. ANN. XXXVIII.	*Defuncto*
L. AVRELIVS CASTVS	
ET G. IVLIVS HONORATVS	
FILI. PATRI B. M. P.	*Bene merenti poſuerunt*
ET IVLIAE VALERIAE	
MATRI DEF. ANN. XXX.	

De hoc Lapide audi differentem Muratorium, qui ex ſchedis Mariangeli Accurſii eum divulgavit. *In Gruteriano Theſauro* (*pag. 56. n. 2.*) *viſitur Photinianus Auguſti noſtri Verna Librarius ab Inſtrum. Gen....ialibus. Heic non ſecus, atque ibi obſcurum, quid ſint Inſtrumenta. Svetonius in Veſpaſiano* (cap. VIII.) *memorat Inſtrumentum Imperii pulcherrimum, ac vetuſtiſſimum, quo continebantur pene ab exordio Urbis Senatus Conſulta, Plebiſcita de Societate, & Fædere, ac Privilegio cuicumque conceſſis. Inde fortaſſe lux.* Hæc vir doctus. Sed lux his tenebris, quæ fortaſſis nullæ ſunt, clariſſima adfulgebit ex alio Svetonii loco (*in Caligula* c. 8.) *Sequenda*, inquit iſte, *igitur eſt, quæ ſola actorum reſtat, & publici Inſtrumenti auctoritas*. Fuit igitur Phrygius Auguſtorum noſtrorum ab Inſtrumentis, ſcilicet ab actis, & tabulis publicis, ut alii erant *a diplomatibus, ab epiſtolis*.

III.

Ex Schedis Spalatenſibus.

FELICISSIMO
AVG. N̄. VERN.
QVI VIXIT. AN
XXX CASSIA
FRATRI PIENTI
SSIMO. B. M. P.
...E. SVO. SIBI.

Fuit *Feliciſſimus Auguſti Noſtri Verna*. De Vernis adi Pignorium in commentario *de Servis*.

CLAS-

CLASSIS VI.

ARTES, ET OFFICIA MINORA.

I.

Ex MS. Spal. Lib.
Spalati ad S. Martinum.

D. M.
A. ATIVS. CAIVS. ARCHIATER
SIBI ET IVLIAE PRIMAE
CONIVGI INCOMPARABILI
V. S. F.

Vivi ſibi fecerunt poſtremas Siglas interpretor. Eas omittit Muratorius, qui hanc Inſcriptionem veluti Polæ exſtantem e Schedis Farneſiis edidit poſt Gruterum (p. 959. 8.) Initio autem legit C. L. *Archiater*, ut Archiater non officii nomen ſit, ſed gentis cognomen, In noſtro exemplo legitur *Cajus*, quod quidem prænomen ſæpiſſime eſt, ſed nomen quoque gentis, item cognomen, ut in Aurelii Caii Inſcriptione ab ipſo Muratorio edita (p. 1382. 5.). De Archiatris cum plurimi multa dixerint, nemo veriſimiliora excogitavit, quam quæ in Marmoribus Piſaurenſibus præclariſſimus amicus meus Annibal de Abbatibus Oliverius (p. 152.) diſſeruit. Putat nempe egregius hic Antiquitatis explanator, Medicos dictos fuiſſe illos, qui medicinam ſuo periculo exercebant, quos hodie *Medici Venturieri* appellamus, Archiatros vero, qui a Decurionibus electi ſalario publico honorabantur. *Scholam Medicorum* Romæ fuiſſe diſcimus ex Lapide Muratoriano (p. 924. 15.), in eaque etiam memoratur M. *Livius Eutychus Archiatros*. Quid ſi ergo *Archiatri* præfecti fuerint Medicorum Scholis, quas non Romæ ſolum, ſed & in præſtantioribus municipiis, aut etiam coloniis fuiſſe nullus dubito. Hi vero Archiatri publico ſalario conduci potuerunt. Hæc conjectando.

II.

Apud Heredes q. Archiepiſcopi Kadrich ex ruinis Salonarum (Lib. Ms. Spal. n. 24.)

D. M.
AVRELIO EVTICI
ANO INFELICISSIMO
EXCVRSORE PRAV
ATO QVI CONFICIT
SVB DIE MILIA XCIV.
QVI VIXIT ANNOS
XXV. MESES DVO. DIES
VIII. AVRELIVS GRECIO
FRATRI PIENTISSIMO
HANC MEMORIAM
POSVIT

